Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Dissertatio Inauguralis Iuris Publici De Coexercitio, Sive Simultaneo Utriusque Romano-Catholicae Ac Evangelicae Religionis Exercitio Licito Ac Illicito

Schweder, Gabriel
Burgermeister von Deizisau, Gabriel Franz

Tubingae, 1727

VD18 11378891

Thesis X.

urn:nbn:de:bsz:31-130851

Visual Library

primævo & antiquo in Pace Religiosa clare constituto & ante Instrumentum Pacis Westphalicæ observato tamdiu inhærendum, donec utraque Pars juxta tenorem Instrumenti Pacis *Art. V.* §. *50.* de vero sensu §. *31.* per dextram Interpretationem in Comitiis conveniat.

## Thesis IX.

Ast multa hic ut vera præsupponuntur, quæ falsa aut admodum dubia adhuc sunt; Præsupponitur Pace Religiosa Simultaneum seu Coëxercitium generaliter permissum esse, quod omnino falsum est, nec nisi ad Calendas Græcas, i. e. nunquam *ex allegatis* §§. probari poterit. Pacem Religiosam Tabulis Pacis Westphal. confirmatam, multisque in casibus & articulis pro ratione circumstantiarum & rerum exigentia declaratam omnino agnoscimus, hancque dictæ Pacis Religiosæ Declarationem Pace Westphalica factam non minus ac ipsam Pacem Religiosam pro perpetua norma & regula observandam (non attenta cujusvis seu Ecclesiastici, seu Politici, intra vel extra Imperium, quocunque tempore interposita contradictione vel protestatione, ac severe sub pœna fractæ Pacis Publicæ prohibita quacunque contraventione) vult saluberrimum hoc Imperii Palladium, & Sanctio illius Pragmatica æternum valitura.

## Thesis X.

Quocirca cum I. clare in Sacratissimæ hujus Pacis Westphal. *Art. V.* §. *Hoc tamen non obstante. 31.* constitutum sancitumque sit, ut Statuum Catholicorum subditi, qui Anno 1618. vel 1624. publicum sive privatum Aug. Confess. Exercitium habuerunt, id etiam in poste-

posterum quiete retineant, cum annexis, quatenus illud dictis annis normativis exercuerunt, inde firmissime sequitur, quod, si Subditi Principatus aut Regionis alicujus Anno 1618. vel 1624. Aug. Confess. Exercitium Publicum, solitarium & exclusivum habuerunt, Dominus Territorii ad Romano-Catholicam Religionem noviter transiens, aut Regionem illam noviter, vel vigore Pactorum Familiæ, aut per Successionem Agnaticam, aut alio quovis legitimo modo acquirens, Exercitium suæ Religionis subditis invitis in Territorium suum publice introducere, & vel nova Templa extruere, vel devastata restaurare pro Sacris suis minimè, salva Pace Westphalica, possit, tanto minus vero in ipsorum Aug. Confess. addictorum Templis Coëxercitium Romano-Catholicæ Religionis concedere valeat, ita enim subditis Aug. Confess. addictis Exercitium suæ Religionis solitarium & exclusivum, quo annis decretoriis gavisi, non maneret, quatenus illud d. Annis 1618. vel 1624. exercuerunt. Vid. Author Anti-Vindiciarum Statuum Evangel. Hildesheim. *pag. 85. seqq. pag. 106. seqq.* Joh. Schilterus *de Pac. Relig. Cap. III. §. 13. pag. 201.* Henr. Henninges in Meditat. ad Instrum. Pac. Westphal. *Spec. IV. ad Art. V. §. 31. pag. 571. seqq.* Author *Tr. de Jure Reformandi. pag. 121. seq. pag. 125.* Stryck *Vol. I. Dispp. Hallens. Disp. XIX. de Jure Milit. Circul. Cap. V. §. 9.* Hieron. Brucknerus, qui latet sub nomine Heydeni Borromei Riccrunti, *in Not. ad Guilielmi Ignatii Schützii Manuale Pacificum. Qu. 9. pag. 97. seq.* Georg. Henr. Wegelin *in Spicilegio Observat. ad Capitulat. August. Imp. Caroli VI. in Append. pag. 358. seq.* Joh. Deckherrus *de Pace Civili Religioni data. Cap. XXXVIII. ad Num. XLVII. n. 19. seqq.* ubi dicit: *in Camera Imperii Subditis*

*ditis contra Dominum suum Territorii in tali casu bis Mandata sine Clausula de non turbando & contraveniendo Instrumento Pacis Westphalicæ decreta esse.*

## Thesis XI.

Præterea II. expresse cautum est *d.* §. *31.* quod Romano-Catholicorum Statuum Subditi Evangelici debeant manere ac manuteneri in possessione omnium dictis annis normativis in eorundem potestate constitutorum Templorum, hospitalium, quatenus nempe iisdem annis illa in potestate sua habuerunt; Si ergo Templa tunc in solidum & privative ipsorum Protestantium fuerunt pro Sacris suis inibi exercendis, illi quoque futuris temporibus in eorundem possessione pro Sacris suis privative in iisdem exercendis manebunt, uti & quatenus tum fuerunt, consequenter Simultaneum seu Coëxercitium Romano-Catholicæ Religionis sine manifesta Pacis Westphal. violatione, illis invitis, obtrudi nequaquam poterit.

## Thesis XII.

III. Ex *dicti Art.* §. *32.* ita inferimus: Subditi Aug. Confess. addicti, qui Anno 1618. vel 1624. libero Religionis suæ Exercitio gavisi, in illius quasi possessione manuteneri, nec ulla ratione turbari, multo vero minus ea privari aut destitui debent; Turbati vel destituti autem illicò sine ulla exceptione ac mora in eum, quo dictis annis fuerunt, Statum, inque quietam possessionem Exercitii Religionis suæ Evangelicæ, quo dictis annis gavisi, plenarie restituantur. Turbari vero eos per Introductionem Simultanei seu Coëxercitii